

S. VVIGBERTVS EPISCOPVS HILDESHEIMENSIS.



V Vigbertus à teneris annis bonis literis sese exercuit, atq; in primis Medicorum et Theologorum lucubrationibus operam dedit. Vnde & Medicus & Theologus sui temporis doctissimus euasit. Mores etiam habebat castissimos, atque omnis generis uirtutibus præditos. Itaq; cum præsul Hildesheimensis obiijset, ipse anno 884 eius loci Episcopus omnium consensu electus est. Eam functionem per quatuor annos magna pietate optimè peregit. Nam ijs horis, quibus reliqui à laboribus cessabāt, ipse in Medicis lectionibus frequens erat, atq; aliquot libros cōscribebat, qui adhuc in Hildesheimensium Episcoporū Bibliotheca extant. Cum autem horæ instarent, quibus lectionibus sacrīs aut orationibus incumbendum, ipse piūm Theologum agebat, ac suo exemplo alios in officio continebat. Tandem moriens Vualdpertum successorem habuit. Annon. Crantz.